Ex literis tuis, clariss[ime] D. Compater, intellexi, quod cupias, num Procuratori reditum Ecclesiasticorum de 30 fl adhuc solvendis sit satisfactum, et quid consilii de reliquis. Ad ea sic paucis habeto. D. Hartungum mihi ratione stipendii ex istis reditibus quotannis debuisse florenos quinquaginta. Me vero privigno pro reditibus, quas inhabito, triginta ad festum Michaelis. Quo igitur D. Hartungo satisfieret, de meo stipendio hoc anno ne obolum quidem accepi, et animus erat, ante duos elapsos jam proximos menses subducere rationes, et tuo nomine, accepta apocha, relinquere[†] triginta istos. Verum bonus ille vir toto isto tempore tam graviter decubuit, ut non solum istis rebus non vacare[†], sed et debitum naturae solvere oportuerit. Quale sit interregnum, et quam hujusmodi rationibus subducendis idoneum, tu per te facile conjicere potes. Hoc tamen tabellarius [?] principi, de Prischenckio in defuncti locum surrogando, consilium dabit. Quod si factum fuerit, brevi apocham habebis, et consilium de reliquis ut promisi. Tu interim moram istam non mihi, sed morti ascribes.

Giphanius Ingolstadium est profectus; de abnegatione vero ne verbum mihi constat. Faxit Deus, ut ne imposterum talis fama, quae vera sit, ad nos perferatur. D. Lukenus [?], fortassis à Giphanio populari persuasus, designatus et confirmatus Rector Academiae, veniam patrios invisendi lares à Senatu Norico petiit, quam et obtinuit. Rediturus is nunquam, et id Senatui jam perscripsisse dicitur. Quidam matrimonium pinguem [?], quidam tenuitatem stipendii, quod illi hactenus à Senatu datum, accusant. Ego vero istorum hominum levia ingenia demirari satis non possum: interim tamen poenam divinam Oblivitatis [?] Noricae agnosco. Solus Donellus cum Bulsadrento [?] domum servat. Maxima pars studiosorum Juris Giphanium subsecuta dicitur. Giphanius tantam aspersit nomini suo maculam, quantam nec Rhenus neque Danubius facile, vel nunquam eluere poterunt. Tantum valet auri sacra fames. Ita Plutus viam ad Plutonem sternere solet.

[Margin notes:]
† Hartungo
potuerit
quia patria obtinuisse eum dicunt:

De novo Rectore, de cujus jam nob. constat noie, plurimum
boni omnes Scholae nostrae gratulamur. Sunt et se enim
tamen, qb. oia et saluberrima Principis consilia et
actiones sugillare nonnunquam est, qui et hoc canino dente fe-
rire no erubescent. Dabunt et illi aliquando condi-
gnas culpa lata ~~poenas~~. Exsecutor nihil aliud sonat,
quam Delatores, ~~nomine~~ nullius tamen, nomen, qd mandatum erat,
edere potest. Plurimi Priscianum hac de re, quam scripsisti,
me indignissimis tractavit modis, et etiamnum bono vi-
ro nunquam parcere consuevit, suspectum habent. Cui
certè tam malè tractato hoc, vindictae ergo, vitio ~~…~~
verti no potest. Sed ego ipsum hominem ~~ad~~ Stivam (?),
quasi postliminio, restituendum, prius tamen in Schola Fri-
schliniana, (et Prisciano vapulante) erudiendum et
perpoliendum censeo.

q vel potius de-
fensionis

Novus verò Rector, cui oia felicia ex animo precor,
commilito meus fuit Heidelbergae quondam, et Argentorati
et aliquandiu hic fuimus. Spero et illum tibi no tam in loco,
quam amicitia ista arctissima, quam semper sancte pro-
fesses absentes coluimus, successurum. Habebit me,
id qd ei significare potes, amicum et fratrem in Christo con-
junctissimum, à quo, ut et à meis omnibus, oia humani-
tatis officia expectabit. Ut et uxor ipsius ~~…~~ pa-
rentem, à qua mea plurima accepit beneficia, nobis
omnibus erit acceptatissima. Te ipsum + contra quorundam
illecebras et insidias, vel et insultus, armare et con-
firmare poteris. Ipse, qui sis expertus, amico exponere
potes. Plura addere hac vice no possum. Saluto uxo-
rem tuam cum mea Veronica, filiola in Christo, carissima.
Raptim ex Ricastenio. 10. 7bris. Ao. 90.

+ adventitium et super-
venientium artium adsc-
ignarum

C. Tui
stud.

Th. Richius.

Clariss.° et doctiss.° viro:
Dn. Theophilo Madero:
Medicinæ Doctori:
et Organi Aristotelici
in Academia Heidelb.
Professori:
compatri observando.

Heidelberg.